



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Exterminatione Mali, Et Promotione boni - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1613**

De diligentia in obsequiis aliorum fratrum. Cap. 13.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77843](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77843)



mercedi proficit, eò quòd bona, quæ exercere prævalent, alienis meritis reddit. Indignum se omnibus iudicat, etiam cum indignius cunctis vivat. Scit enim quòd bona, quæ innotescunt hominibus, sine periculo esse vix possunt. Et quamvis sapientem se esse sentiat, velle tamen esse sapiens, non videri, acque hoc sibi omni modo, quod loquendo proditur, peritescit, & si liceat tacere, appetit, dum esse multo tutius silentium cernit; eòque se felicitiores putat, quos intra sanctam Ecclesiam locus inferior per silentium occultat: & tamen ut sanctam Ecclesiam defendat, quia ad loquendum vi charitatis impellitur, ex necessitate quidem officium locutionis suscipit. Sed ex magno desiderio otium taciturnitatis querit, hoc servat voto, illud exercet, nec ministerio.] Hæc ille. Magnum igitur Dei donum est, quempiam ad salutandas animas vocatum esse. Ingens verò malum est tanto dono abuti, & munus tanti momenti, aut negligenter, aut male, aut ex præpostero fine tractare. Si hæc quæ dicta sunt, observaveris, nam alia in postremam huius operis partem reservamus, tuo muneri satisfacies, & innumeris virtutum actionibus cumulaberis.

De Diligentia in obsequiis aliorum fratrum.

CAPVT XIII.

Tom. I.  
lib. 2. p. 3.

**N**ON omnes ad ministeria spiritualia vocati sunt, sed aliqui ad obsequia temporalia in religionem adducti. Hos superius satis instruximus, cum de vita actiua scriberemus; nunc illis pauca, sed admodum necessaria dicamus. Tu ergo ad sortem Martha vocatus es, vocationem tuam tanquam à Deo profectam, tanquam securiorem, & fortè aptiorem ad perfectionem consequendam diligit. Non dubites te ad hanc sortem ab ipso Deo fuisse vocatum, qui cum velit corpus religionis perfectum facere, quosdam ad hæc ministeria spiritualia, quosdam ad illa temporalia vocat, ut tanquam ex variis & necessariis membris vnum integrum corpus constituat. Nec etiam dubites te securissimam vitæ rationem sectari, quæ eo ipso, quòd humilior, eo securior est, minus periculis cadendi subiecta, minus inanis gloriæ ventis exposita. Nec tandem ambigas, quia vitam habes ad assequendam perfectionem aptissimam; cuius instrumenta cum magis sint affectus voluntatis quam intellectus actiones, ille magis ad perfectionem disponitur, qui liberiori & ardentiori voluntatis affectu in Deum ordinatur. Voluntas autem in religiosi laicis ex ratione status liberior est ad amandum, quam subtilitatis intellectus non distrahit, & cura rerum magni momenti annexa Ecclesiasticis ministeriis, nec à iugi Christi meditatione, nec amore diuellit. Obsequia igitur temporalia tibi demandata, deuotè, amabiliter, & diligenter exequere: deuotè exequeris, si te in huiusmodi seruitiis ipsi Christo Saluatori tuo, cuius mēbra vna fones, famulari consideres. Nonne vox eius est? Amen dico vobis, quandiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Si tu minimis & humilibus propter Christum obsequeris, non dubium est, quin ipsi ad tuum magnum meritum obsequaris, Amicabiliter seruias, si religiosos esse fratres tuos, & summi Dei dilectissimos filios mediteris. Iucunda est corporalis fraternitas, sed spiritualis multò iucundior; quæ si tuo animo infederit, teque non aliorum seruum, sed fratrem (sicut te vera esse Iesse persuaserit, facile tibi erit ipsorum iucunditati consulere, & in omnibus irreprehensibiliter & suauiter ministrare, Tan-

Matth.  
25. 40.

**A**dem diligenter famulaberis si præmium tibi paratum aspicias. Nam principum huius mundi famuli eo maiori diligentia & sollicitudine famulantur, quo maiori mercede sunt cumulandi. Tu verò non mercedem temporalem, sed æternam; non aurum aut argentum, sed Dei ipsius conspectum & possessionem expectas. Absurdum autem erit tam eximium præmiū ob operā negligenter facta, deposcere, & propter obsequia ex animo tristi, & iracundo, & querulo oblata sanctorum mercedem expectare. Christi munus, o frater, tibi demandatum est, qui de se dixit: Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat, & filius hominis non venit ministrari, sed ministrare.] Non debes autem deignari seruire fratribus, quorum Dominus omnino se ministrum vocat, nec eius munus negligenter obire. Huius meditationis virtute tactus Sanctus Hermānus, alio nomine Ioseph dictus, tanta celeritate & voluntate fratribus seruebat, ac si rem honorificentissimam actione præstaret, de quo hæc scripta sunt: Tanti ergo Domini seruientis seruis suis formam se gerere humilis frater noster seruientis fratribus suis temper in corde gerebat, vnde tanta se sentit alacritate affici, ut quotiescumque tale fratribus ministerium exhiberet, non se ire, aut currere, sed potius voltare putaret, animi alacritate in corpus se effundente.] Hæc author vitæ eius: qui & statim sic in fratres superbe vel negligenter seruientes inuehitur. Magna distantia beati fratris huius à plerisque fratribus, qui vel superbia tumidi, vel aedia pressi, nec spirituali eriguntur lætitia, nec humilitate inclinantur, ut Deo ministrent in fratribus, & fratribus propter Deum. Dicant hoc exemplo non solum sine murmure, verum etiam humiliter & alacriter fratribus inservire, discant glorificare Deum & Dominum Iesum, cuius ministrantis formam corpore & animo repræsentant. Hæc igitur sit forma obsequij tui, Christus Iesus pro te, pro omnibusque ministrans: hoc exemplar laborum tuorum, ut quietus in tua vocatione viuas, & perfectè munus tuum expleas, & ut ex labore ad requiem, ex obsequio ad regnum, & ex humilitate ad gloriam peruenias.

Lucæ 22.  
27.  
Matth.  
20. 28.

Sup. in  
vita e.  
ius, 10. 7.

De conscientie examine ante prandium.

CAPVT XIV.

**A**PRIMO signo vsque ad secundum, quo ad consuetam refectionem pulsatur, quadans horæ elabitur ex consuetudine, in quo, (ut supra ex Bonauentura didicimus) conscientie examini vacandum est. Huius verò examinis tum necessitatem, tum utilitates multiplices, ac tandem illud faciendi rationem exponemus paulò post, cum de examine ante cubitum faciendo scribemus. Vtriusque enim eadem omnino ratio est, aut potius vnum atque idem examen est, bis in die ad maiorem conscientie puritatem acquirendam repetitum. Nam sicut linteam eo mundius est, quo frequentius eluitur: sic conscientia eo purior est, quo frequentius examinatione mundatur: est tamen magnum lintei conscientieque discrimen: linteolum namque quo magis lauat, magis deteritur: conscientia quo frequentius & melius aqua examinis compunctionisque mundatur, eò recentior & robustior efficitur. Merito ergo ait prædictus Doctor: Sæpiissime discute te ipsum, & considera statum mentis, & corporis, quid delit, quid proficiat, quid impediatur profectū, & quomodo

Bonauent.  
in regim.  
mor., 6. 5

Bonauent.  
de in  
form. as.  
sur. p. 2.  
c. 13.

illi